



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,
ex Eusebio Cæsariensi ...**

Eusebius <Caesariensis>

Haer. Chr. Egen., 1571

VD16 E 4284

50. Dictvm Dionysii Episcopi Alexandrini, de pœnis impiorum perpetuis, &
liberatione piorum, cap. 20.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

*Aethereas latam populus quam credit ad arces,
Victima conspicuis reddita fertur aquis.*

50. DICTVM DIONYSII EPI-
scopi Alexandrini, de pœnis impio-
rum perpetuis, & liberatione
piorum, cap. 20.

Persecutores nostri in semetipsos tela ver-
tunt. Insecutus est hos pestilens morbus
& plaga terribilis, sed illos terribilior &
grauior, quos nec spes erigit futurorum. No-
bis verò hæc omnia exercitia quædam virtu-
tis & fidei probamenta dicuntur.

*Talia de pœnis dixit Dionysius Apher,
Iniusti meritas quas sine sine ferent.
Quas sibi patrantes accersunt crimina spontè,
Et iustos quænam gaudia leta manent.
Quando viris tentant iustis inferre tyranni,
In se conuertunt impia tela truces.
Pestifer hic morbus sic nunc infestat, & vrit
Multorum meritò corpora fœda lues.
Est q̄ magis tantò plaga hæc metuenda tyrannis,
Nulla quòd his vitæ spes melioris erit.
Non crux illa diu, quam fert Ecclesia, durat,
Pro cruce reddentur gaudia leta pijs.
Rebus in aduersis virtus exercita crescit,
Iustorum q̄ fides fit magis aucta malis.*

”
”
”
”
”
Lima

“ *Lima velut ferrum, sic aduersarius hostis*
 “ *Nos acuit, virtus languit hoste carens.*

51. DICTVM DIONYSII ALEX-
 andrini de Nepote, quem quidem pro-
 pter ingenium, eruditionem & pieta-
 tem, veneratus est & dilexit, sed
 doctrinam eius erroneam
 reprobauit, inquit
 inter alia:

IN alijs quidem multis, etiam ego ample-
 ctor & diligo Nepotem, vel pro fide sua,
 vel pro eruditione & studio scripturarū,
 & præcipuè exercitio psallendi: sed reuera
 plus omnibus, & amanda & præferenda est
 veritas, laudare oportet, & absq; inuidia am-
 plecti, si quid rectè est dictum, discuti verò &
 discerni, si quid minus sanè scriptum est.

De docto retulit Dionysius illa Nepote,

Dogmata qui doctus falsa professus erat:

Magno equidem doctum complector amore Nepo-

Scriptura gnarum psallere & arte bonum. (tē,

” *Præ cunctis veri semper veneranda potestas,*

” *Veraq; sunt cunctis anteferenda bonis.*

” *Inuidia absq; decet reuerenter vera tueri,*

” *Laudibus & meritis tollere vera suis.*

Qua